

III.

N E O V I D E N S I S

Nro. 81. (*Neovidensis* 1806. Nro. 74.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Epistola scripta Erasmo Rotterodamo —
in Elysium.

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 26. Septemb. 1806 (*Neov. 12. Sept*)

Tuum Moriae elogium longo jam tempore magno cum applausu legebatur, at uti omnibus humanis rebus evenire solet, nunc oblivioni est traditum. Novus Erasmus comparet in EuropaeoInspectore, qui *elogium stultitiae* singulari ratione ad vitam revocat. Certum est, in hac miseriarum vale neminem mortalium degere, qui sua vita plures non commisisset stultitias. Unde author sequentem deducit conclusionem.

De hominis determinatione ad stultitiam:
Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur.

Adest tandem tempus, ut modestae stultitiae, cui homo tanta in acceptis refert, contra inflatam sapientiam patrocinium suscipiamus. Quaero ex unoquoque incorruptae fidei: ubi erant, et nodie adhuc suat cum magnificentia annunciata opera ambitiosae sa-

pietiae? ubi proveniunt aurei Hesperidum fructus, de quibus illa, ejusque tristes aesculae tanta praedicant? Nequaquam mortales! Illa vobis diu, et acerbe imposuit, ne non possitis pervidere, ex ejus spinis vos nullos unquam botros collecturos. Tandiu jam vobis, benevoli! vestraeque originarie insigni naturae vim intulistis, eamque ipsius methodico ingenio, et systematicis nugis jam a priori, jam a posteriori accomodastis, ut felicitatem tam singulorum, quam omnium consequeremini, quam illa vobis in ampullatis paragraphis, et mystice obscuris carminibus promisit!

Juvat ordinem invertere, quia adhuc tempus est, et sine intermissione salvum praestare, quod salvari potest. Fixum est nos totos dedere stultitiae, quae alioquin amantissima hominum est, et ab illa cum fiducia, et absque ulla exceptione expectare, quod in hac vita sive sperandum est, sive metuendum. Frustra praestolamur felicitatem sive singulorum, sive hujus universi ex libris sibyllarum profanae sapientiae, in solo universali codice stultitiae mundi reperitur universalis medicina, quam quaerimus, et qua nobis opus est.

Timor sapientiae, id est stultitia est initium terrenaе felicitatis. Stultitia est innata sapientia; et naturae conveniens felicitas hominum hujus mundi. Natura, quae omnia melius novit, quam nos admittere velimus, indidit nobis indelebilem propen-

sion
pula
mun
dere
reru

quan
ment
bus
tiae
aliqu
gere
los r
pien
dian
ven
et
infic
(hic
ham
pros
quoc
senti
mor
sita
tum.
tope
et q
entia
stult
nea
pien
vict

sionem, et quasi coecum instinctum in popularem stultitiae philosophiam; Hinc summum dementiae genus est velle reprehendere hanc celebrem, falli nesciam, magnam rerum omnium magistram. —

Ipsi hactenus commemorati tam veteres, quam recentiores sapientes illis vitae momenti experti sunt se esse felicissimos, quibus deposita severiore sua larva, se stultitiae, id est primaevae naturae tradere, et aliquot horis ex sincero animo risui indulgere poterant. Quare non deerant inter illos multi, qui svaserunt stultitiam cum sapientia, veluti vinum cum aqua pro quotidiano usu miscendam esse; At impium beneficium est, si sapientia cum stultitia, et stultitia cum sapientia quasi veneno inficiatur. Omnes sincere, et diu felices (hic ego plaudo ex secretissimo cordis humani tabulario) erant occulti stulti, prosperaque utebantur fortuna non per id, quod externe apparebat, sed quod interne sentiebant. Jam olim ubique sapiens, et morosus erant synonyma, et frons rugis consita demonstrabat animum esse vitis deditum. Hinc licet colligere, si placet, quantum adversetur sapientia nostrae naturae, et quantum consentiat cum stultitia. Sapientia illi cum labore, et taedio ingeneratur, stultitiam parit cum voluptate, veluti aranea telam, ex se ipsa. In hoc singulari sapientiae, et stultitiae certamine illa semper victas dedit manus propterea, quod non natu-

rale, si durabilitatem spectemus, nequeat naturam vincere.

Pace nostra igitur relinquat has terras Astraea, libertas, ejusque consortes, nos eas non retinebimus; sine illis possumus subsistere, et modo nostro plene felices esse, dummodo te habeamus, prolibus, et adultis amantissimam stultitiam! Sub laeto tuo vexillo progreditur debilis Rex pulveris, homo, per breves, et incertos vitae suae annos prout optat, et potest. Vivacitas vitae, ac flos aetatis obtingit tuis amicis, atque species perpetuae juventutis, qua illos donare soles, facit, ut illi v. g. etiam in sic dicto autumno suarum dierum in caeruleis puellarum oculis omnes septem caeruleos caelos, talesque res conspiciant, quae armatos licet oculos ante tempus senescentis sapientiae fugiunt.

Quapropter adeat imposterum publice, et abque omni ornatu sapientia scholam stultitiae, ut minimum id dediscat, quod nunquam discere debuisset! — Illa praeterea cum summa admiratione id confirmari animadvertet, quod olim severissimus Cato tempore ludicorum intervallorum dixit: *Stulti parum possunt a doctis viris, at docti valde multa possunt a stulti discere.*

Ut placet tibi Erasme! haec stultitia? sed satis de illa. Graviora negotia occupant hodie rerum novarum cupidos. Describam illa ex publicis ephemeridibus.

Londano 29. Augusti. Primi rumores de

de jactura navium mercatoriarum Halifaxensium, vel melius Quebecensium, qui ex narratione nautarum de navi *Champion* 24, tormentorum (et non 64, ut erronee heri dictum) sparsi sunt, exaggerati erant; Quod sequitur, verius explicat casum; Plimutho de 27. hujus ista scribuntur: Præsidium Quebecense opinione multorum fortunatius fuit, nonnisi 6 naves captæ sunt, & combustæ, reliquæ per varia itinera ex angustiis enatarunt. Reduces naucleri ex captis 4 navibus, & præterea duabus aliis, venerunt in potestatem Veterani 74 tormentorum, cui præerat Hieronymus Bonaparte, relicta classe *Villaumez* in sinu insulæ *Floridæ*, rediturus in Europam. Duarum reliquarum occupatarum navium naucleri impositi sunt navi americanæ *Falmuthum* proficiscenti. Hi domum advenientes putant Hieronymum Bonaparte jam appulisse in Galliam. Alii adhuc tres naucleri erant in Veterano, quorum naves Hieronymus Bonaparte ceperat, & cremaverat. Oneraria navis *Cagle* cum parte 6. Legionis, quæ a classe Quebecensi se separavit, domum revertit, persequabatur eam Veteranus, sed ita male navigavit, ut facili negotio evaserit.

Pars hispanici præsidii de Havana, constans ex 27 navibus intercepta est a nostra celoce *Fortunata*. Septem naves dispersæ sunt, earumque merces, potissimum in mercurio consistentes veloci impositæ. Nautæ se sal-

varunt natando, reliquæ naves effugerunt, amissis duabus tormentariis.

Londinenses ephemerides pro certo affirmant, ultima Petropoli allata scripta continere gravissimas promissiones, suæque Majestati, Imperatori fixum esse conservare amicitiam cum regno, & cum eo continuare suas operationes.

Foxius abiit rus, Chisvicum. De porta domus impositi sunt aliquot asseres currui, ut conscensio eidem facilior redderetur. Corpore videbatur debilis, at animo jucundo erat, conscendens enim currum, risu excepit constructum pegma. Apparet necessarium, ut eidem proxime iterum aqua detraheretur.

Nostri mercatores iterum publice exercent commercium in insulam S. Dominici, accepta a Gubernio facultate, qua de re jam etiam ineuntur contractus securitatem præstantes.

Hæc sessiones Parlamenti pro forma prorogatae sunt usque ad 9. Octobris.

Hamburgo 5. Septembris. Ad omnes jurisdictiones Lauenburgicas missum est sequens Edictum, & publicatum: Nostra &c. &c. Postquam Sua Majestas Rex Sveciæ nomine nostri clementissimi Regis hunc Ducatum per suas copias occupandum curat, impositum nobis est, ut administrationem ejus iterum suscipiamus, veteremque restituamus constitutionem. Huic itaque convenienter nullæ aliæ dispositiones circa publicam admi-

nistrationem locum habeant, Regia insignia reponantur, aliena detracta remittantur ita tamen, ut nulla interveniat confusio, quo in casu Svecicæ legiones sunt in auxilium vocandæ; Quare antiqua teloniorum signa iterum affigantur. Svademus etiam ad evitandas omnes perturbationes, ne interim publicæ pecuniæ Hanoveram mittantur.

Razeburgi 31. Augusti 1706.

Hake.

Berolino finis certiores, Regium Svecicum tribunum, Engelbrechten die 31. præteriti mensis attulisse Regi litteras a Sua Majestate Svecica, fuisseque prandio regio exceptum. Omnes præsidarii Berolinenses die 2. hujus egressi sunt ad formanda Burgum inter, & Magdeburgum castra. Berolini non nisi paucæ remanserunt subsidiariæ copiæ, quæ per vices cum civibus excubias agunt. Ipse Rex putatur propediem ad exercitum abiturus. Berolinenses ephemerides plenæ sunt bellicis cantilenis, quarum una sequentem facit observationem: Dies 29. Augusti, qua Berolinensis præsidii primum agmen urbe excessit, est anniversaria, qua ante 50 annos idem præsidium ad longum, & gloriosum belli septennalis certamen profectum est; Eædem ephemerides narrant, in arce Berolinensi apparari cubiculum pro excipiendo quodam majoris notæ peregrino; Item Regium Bavaricum, Petropoli residentem negotiorum gestorem D. Oly Berolino Dres-

dam concessisse, ibique aliquanto tempore moraturum.

Petropoli scriptæ litteræ 20. hujus memorant ibidem percrebuisse, Oubrilium ad sua bona discessurum.

B I O G R A P H I A .

Erasmus Roterodamensis, cui verum nomen erat Gerardi Gheeraeds, natus est Roterodami A. 1467. Patrem habuit Petrum Gheeraeds civem Goudanum, matrem autem filiam cujusdam medici, verum inter eos non intercesserat matrimonium. Erasmus erat Ultrajecti discipulus symphoniacus, ibi litteris operam dedit, & tandem susceptus est in ordinem canonicorum regularium. Paulo post eruditis operibus celebritatem nominis consecutus peragravit Italiam, Galliam, Germaniam, & Angliam, ubique honorifice acceptus. Romæ obtenta dispensatione a votis Religiosis creatus est a Carolo V. Imperatore Status Consiliarius. Verum amore liberioris vitæ ductus relicta Aula contulit se Basilaeam. Vir hic copiosos scripsit libros, sed qui hodie paucorum manibus teruntur. Ejus *Elogium Moriae*, & *colloquia* sunt in omnes ferme linguas translata. A. 1536. annos natus 70 diem obiit supremum Basileæ. In perpetuam ejus memoriam posuerunt illi Roterodamenses statuam; qui reipsa turbulentis illis Reformationis temporibus maxima pollebat eruditione, ab ipsis inimicis portentum scientiarum habitus.